






HEK

7



A, καὶ Ω!

***

JESUS PATIENS,

VIRGILIANI CARMINIS

Flore

convestitus

D.

prodit

in Electorali Dresda


è

Museo

IO. FRIDERICI HEKELII.

BAUMANNIANIS LITTERIS, A. M.DC.LXXIX.

Illustri Viro,
Dn. Antonio Magliabechio,
Polyhistori consummatissimo,
ut et Serenissimi Magni He-
truriae Ducis Bibliothe-
cario laudatissimo,
Domino, Patrono ac Fautori suo
optimo,
S. P. D. E. O. P.
Appr



VIRO

MAGNIFICO, NOBILISSIMO ATQVE EXCELLENTISSIMO,

DN. ANTONIO MAGLIABECHIO,

*P*olyhiſtori illuſtri ac SERENISSIMI MAGNI HETRURIAE DUCIS Bibliothecario incredibiliter merito, &c.

MUSARUM AUGUSTIORUM CHARITUMQVE MODESTIORUM PORTIONI HAUD IGNOBILI,

DOMINO ET PATRONO MEO VENERANDO,

Hoc, qvicqvid eſt,

cum
Omnigenae felicitatis apprecatione

D. D. & C.

AUTOR.

Ata DEUMqve cano, ſuperis qvi miſſus ab oris
Judaeam ſanctam promtus *Solymaea*qve venit
Littore multum ille & terris jactatus & altô,
FACTUS HOMO, immanem *Patris omnipotentis* ob iram
Paſſus acerba ſolo, dum clauſa repagula coeli
Panderet, obſtrictiq; viam reſeraret *Olympi*,
Inferretq; homines coelo poſt fata ſuprema.
Muſa mihi cauſas memora, qvô Numine laeſô,
Qvidve dolens Rex coelituum, tot volvere caſus
Unigenam, qvô non ſuperabat charior alter,
Impulerit, tantaene aeterni Numinis irae?
Urbs antiqva fuit, *Solymi* tenuêre coloni:
Dives opum, belli ſtudiisq; aſperrima, qvam Rex
Coelicolûm fertur terris magis omnibus omnem,
Poſthabitis reliqvis, coluiſſe: heîc regia ſceptra
Illius, & laqveata, aurataq; templa fuêrunt.
Hûc Pater omnipotens, rerum cuî ſumma poteſtas,
Unigenam, poſtqvam humanos aſſumſerat artûs,
Miſit, ut aetherii coeleſtia dogmata verbi
Spargeret, atq; homines monitis impleret amicis,
Et, qvae ſint facienda, & qvae fugienda, doceret.
Vix autem coelo *Gnatus* deſcenderat alto
Cum *Dis*, aeternum ſervans ſub pectore vulnus,
(Progeniem ſed enim divinô à ſangvine duci
Audierat, *Stygias* olim qvae verteret arces)
Haec ſecum: Mêne incepto deſiſtere victum?
Nec poſſe aetherium terris avertere Regem?
Qvippe vetor fatis. Serpensnê Parentibus olim
Occultum inſpirare ignem, fallaxq; venenum

Primaevis potuit pomi fatalis ob eſum?
Ipſe eqvidem fandi molliſſima tempora tentans,
Decepit miſeros, *Stygio* merſitq; fluento.
Dum ſtabam regno incolumis, regnumq; vigebat
Conſiliis, & nos aliqvod nomenqve, decusq;
Geſſimus: invidiâ poſtqvam hic Patris altitonantis
(Haud ignota loqvor) ſuperis caput extulit arvis,
Atqve metus omneis, & inexorabile fatum
Subjecit pedibus, ſtrepitumq; *Acherontis* avari:
Afflictus vitam in tenebris, luctuq; trahebam,
Et caſum inſontis turbae indignabar acerbum.
Nec cavi demens: & me, fors ſi qvà tuliſſet,
Si ſuperas forſan remearem victor ad arces,
Promiſi ultorem, & verbis odia aſpera movi:
Nunc ergò tentanda via eſt, qvâ me qvoq; poſſim
Tollere humo, victorq; virûm volitare per ora.
Haec ubi dicta dedit, vocat agmina ſaeva ſororum,
Nec non lûctificam *Alecto*, cui triſtia bella,
Iraeq;, inſidiaeq; & noxia crimina cordi:
Qvam *Dis* his acuit verbis ac talia fatur:
Hunc mihi da proprium, Virgo ſata Nocte, laborem:
Hanc operam, ne noſter honos, infractâve cedat
Fama loco, neu fictitius Deus ille venenô
Pectora (Dii talem terris avertite peſtem)
Inficere evaleat mortalia ſerpentinô.
Tu potes unanimeis armare in praelia fratres
Atqve odiis verſare domos: tibi nomina mille,
Mille nocendi artes: foecundum concute pectus,
Disjice compoſitam pacem, ſere ſemina belli,
Ut grex *Iſacidarum* irâ irritatus inani
Judicio damnet vatem, nil tale merentem.
Dixit: at illa leveis coeli demiſſa per auras

Inſo-

Inſonuit, nigrô circumdata turbine corpus,
Atq; levis Solymâ tandem ſuper aſtitit urbe.
Protinùs & torvam faciem, & furialia membra
Exuit; in vultûs ſeſe transformat avitos,
Et frontem obſcoenam rugis arat: induit albos
Cum vittâ crines, viſu mirabile monſtrum,
Atqve petit *Judam*, domini qvem gloria chari
Obliqvâ invidiâ, ſtimulisq́; agitabat amaris,
Protinùs atq; facem juveni conjecit, & atrô
Lumine fumantes fixit ſub pectore taedas.
Tum verò ancipiti mentem formidine preſſus
Obſtupuit, ſteteruntq́; comae & vox faucibus haeſit,
Arma amens fremit, arma toro, tectisq́; reqvirit.
Nec mora, nec reqvies: proceres adit ocyùs, atq;
Multa malus ſimulans, dictis ita fatur amicis
Perjurus: Scio, vos *Galilaei* facta furentis,
(Qvi ſe patre DEO canit ortum, & legibus urbes
Fundare, atq; audet ſacrata reſolvere jura)
Formidare patres. Ergò hanc extingvite flammam,
Ne mox ſubſiliat victrix ad tecta domorum,
Deguſtetq́; trabes, perq; ardua culmina regnet.
Si mihi, qvae poſco, jam praemia ſolvere vultis,
Qvicqvid in arte meâ poſſum promittere curae,
Qvod fieri ferro, liqvidove poteſt electro:
Qvantum ignes, animaeq́; valent: abſiſtite qvaeſo
Viribus indubitare meis. Nec plura locutus
Argenti accepit laetus ter dena talenta.
At non infelix animi Heros ipſe, nec unqvam
Solvitur in ſomnos, oculisvè, aut pectore noctem
Accipit, & magnô curarum fluctuat aeſtu.
Sic adeò inſiſtit, ſecumq́; ita corde volutat:
En qvid agam? auxilionè vocem patrem altitonantem?

Collis oliviferi petam juga celsa, precerq;,
Mitiget ut poenam patriâ bonitate, parentem?
Tantos ille suô rumpebat pectore qvaestus,
Multa gemens, largôq; humectat flumine vultum.
Inde datum molitur iter, qva semita monstrat:
Jamq; ascendebat collem, qvi plurimus orbi
Imminet, aeternumq; tenet per secula nomen.
Collis oliviferi. Hùc ubi ventum, regius heros
Constitit ante patrem, supplex per vota precatus:
Omnipotens genitor, tanton', me crimine dignum
Expediam, & paucis (animos adhibete) docebo.
Nos etenim tua misêrunt ad limina primae
Gentis, ut autorem scelerum hunc, & carcere dignum
Tradamus tibi, qvò ligno figatur, & aspras
Sangvine dat poenas, pro crimine perpetratô.
Talia praestabat memorans, fixusq; manebat
Ac vinctum immotis Praeses spectabat JESUM
Luminibus, vultum admirans, cupidoq; notabat
Altum animo genus, & praestantem frontis honorem,
Et graviter juvenili ex ore cadentia verba,
Maturumq; animum ante annos & talia fatur:
Fare agè, qvid venias, jam isthinc & comprime gressum
Qvis genus? unde domo? qvae Te *Fortuna* fatigat?
Ille nihil, nec eum, qvaerentem vana, moratur:
Sed graviter, gemitûs imô de pectore ducens:
Optume *Romulidum*, haud (ait) hûc ego criminis ergò
Protrahor: at potiùs tuus ô Pater alme, qvid optes,
Explorare labor: mihi jussa capessere fas est.
Sed qvid ego haec autem neqvicqvam ingrata revolvo?
Qvidve moror? Si vos (nostri si tanta cupido est)
Me superesse piget, jamdudum sumite poenas:
Hoc *Caiphas* velit, & magno mercentur *Apellae*.

His

His medium dictis ſermonem abrumpit: at illi
Circumſtant fremitu denſô, ſtipantq; freqventes.
Hâc vice ſermonum roſeis aurora qvadrigis
Jam medium aetheriô curſu trajecerat axem,
Et fors omne datum traherent per talia tempus,
Nî ſatus ille DEO, curisq; ingentibus aeger
Fide ſatis perdigna dediſſet verba *Pilato*,
Et jam fama volans, tanti praenuncia luctûs,
Iſacidas complêrat & oppida *Judaeorum*,
Qvae modò Judaeâ victorem Heröa ferebat:
Haec tum multiplices populos ſermone replebât
Gaudens, & pariter facta atq; infecta canebat
Captum Heröa dolis, & ſaevô carcere clauſum,
Qvem ſimul ac Heros crebreſcere vidit *Ioſeph*
Sermonem, & vulgi variare labentia corda,
Protinùs ire parat Solymorum ad moenia celſa,
Ut tantinê mali fama, an ſit certior autor,
Explorare qveat, dictisq; avertere curas.
Ut primum muros obſcuraq; limina portae
Ingreditur, nox cùm terras obſcura teneret,
Attulit hunc illi coecis terroribus aura
Commiſtum clamorem, arrectusq; impulit aureîs
Confuſae ſonus urbis & illaetabile murmur.
Heu mihi, qvid tantó miſcentur moenia luctu?
Qvisve ruit tantus diversâ clamor ab urbe?
Sic ait, & paulùm auditâ contemtus haeret.
Ecce autem elapſus vates, qvem Jova beabat,
Joannes Chriſti ſocius, per tela, per hoſteis
Porticibus longis fugit vacua atria circum,
Ne qvicqvam ancipiti mentem formidine preſſus,
Jamq; pedem referens caſûs ſuperaverat omneis,
Ut tandem ante oculos evaſit, & ora ſodalis

Joſephus ſtetit extemplò, & veſtigia preſſit,
Multa putans, ſortemq; animo miſeratus iniqvam eſt.
At non agnoſcens venientem *Janus* amicum
Obſtupuit, retroq; pedem cum voce repreſſit,
Improviſum aſpris veluti qvi ſentibus angvem
Preſſit humi nitens, trepidusq; repentè refugit
Nexantem nodis, ſeq; in ſua membra plicantem:
Haud ſecus & vates viſu tumefactus abibat,
Qvem ſenior tali fugientem & voce ſecutus:
Siſte gradum, teq; aſpectuî ne ſubtrahe noſtro,
Chare mihi ante alios: cur dextrae jungere dextram
Non datur, & notas audire & reddere voces?
Qvem fugis? aut qvis te noſtris complexibus arcet?
Talibus Herois dictis defixa *Joannes*
Obtutu tenet ora, ſoloq; immobilis haeret
Intentos volvens oculos, atq; haec ita fatur:
Vivo eqvidem, vitamq; extrema per omnia duco,
Nunc etenim pelagi tot tempeſtatibus actus,
Heu genitorem, omnis curae caſûsq; levamen,
Amiſi, qvem turba ad poenam ob noſtra repoſcet
Effugia, & culpam hanc illius morte piabit.
Sic memorans largô fletu ſimulacra rigabat,
Nec minus, & ſenior, caſu perculſus iniqvô,
Proſeqvitur lacrymas longè, & miſeratur euntem.
Nec mora, nec reqvies: mox greſſum ad Praeſulis aedes
Tendit: ei comes eſt vates, dêhinc talia fatur:
Optume *Romulidum*, qvô nec pietate, nec armis
Major in orbe fuit: victi obteſtamur, & omnes
Juramus: Nunq; hic gentis temeravit Hebreae
Foedera, nec veſtros unqvam turbavit honores;
Sed qvicqvid, tanto armorum flagrante tumultu,
Tantorum impenſis operum atq; laboribus actum eſt.

In-

Id rabidus populi, & ſtimulis incenſus iniqvis,
Confectusq; odiis furor attulit: ille negansq;
Prodidit, & furiis actus, nil tale merentem.
Ergò per has & nunc lacrymas, dextramq; tuam, te,
Si bene qvid de te merui, fuit aut tibi qvicqvam
Dulce meum, miſerere domûs labentis, & iſtam
Oro, (ſi qvis adhuc precibus locus) exue mentem
Non erimus regno indecores, nec veſtra feretur
Fama levis tantinè aboleſcet gratia facti.
Obteſtor (qvaecunq; mihi fortuna fidesq; eſt,
In veſtris pono gremiis) mihi ſolvite Natum:
Reddite conſpectum, nihil illô triſte receptô.
Talibus incenſus dictis fortiſſimus *Heros*
Tandem pauca refert: Ego te, qvi plurima fando
Enumerare vales, nunqvam *Joſepho* negabo
Promeritum, nec me nati meminiſſe pigebit,
Dum memor ipſe mei, dum ſpiritus hos reget artûs,
Pro re pauca loqvar. Nec ego hunc (en dextra fidesq;!)
Excepi incautum ſini, vinctumq; teneri,
Saepeq; compreſſi rabiem, populiq; furores:
Nunc qvoq; mens eadem perſtat mihi, pelle timores.
Credo eqvidem (nec vana fides) genus eſſe Deorum
Degeneres animos timor arguit. Heu! qvibus ille
Jactatus fatis, qvae bella exhauſta canebat?
Qvem ſeſe ore ferens, qvàm forti pectore & armis?
Talia voce refert, curisq; ingentibus aeger
Spem cultu ſimulat, premit altum corde dolorem.
His dictis curae emotae, pulſusq; parumper
Corde dolor triſti ſenis. Ergò ſubſtitit anceps,
(Dum curae ambiguae, dum ſpes incerta futuri)
Senè ultra tegeret qvaerenti: an proderet ipſi
Et genus, & verum blandâ ſine fraude parentem.

Tum

Tùm ſenior taleis referebat pectore voces:
Rem nulli obſcuram,noſtrae nec vocis egentem
Conſulis, ô bone Rex, cuncti ſe ſcire fatentur,
Hunc juvenem in terris coeli veniſſe ſub axem:
Sed qvàm ſtirps ſit huic coeleſtis,dicere muſsant.
Nam pater eſt ipſi, torqvet qvi ſidera mundi:
Illum autem natum verum (crede) edidit alma
Virgo,congreſsùs nunqvam perpeſſa virileis.
Haec ait, & regi memorat nomenq;, genusq;,
At ſaeva è ſpeculis tempus Dea nacta nocendi
Arte novâ ſpeculata locum, qvô turba Senatûs
Conſilium ſummis regni de rebùs habebat,
Ardua tecta petit, ſubitò & de culmine ſummô
Paſtorale canit ſignum,ſinuq; recurvô
Tartaream intendit vocem,qvâ protinùs omne
Impleri nemus, & colles clamore relinqvi
Audiit & longè rex coeruleus *Jordanes*,
Fluminaq; antiqvos ſubter labentia muros,
Et trepidae matres preſsêre ad pectora natos.
Tunc verò ad vocem celeres,qvâ buccina ſignum
Dira dedit,raptis concurrunt undiq; telis
Indomiti *Iſacidae*, atq; petunt ducis ardua,vimq;
(Proh ſcelus!) infenſi pœnas cum ſangvine poſcunt,
Sollicitantq; ducem: ſed nullis ille movetur
Fletibus, aut voces ullas tractabilis audit.
Fata obſtant,placidasq; viri DEUS obſtruit aureis
Verum ubi nulla datur cœcum exuperare poteſtas
Conſilium *Iſacidum*, tandem converſus ad ipſos
Surgit,& his onerat dictis,atq; aggerat iras.
Ite ait, & poſitô cuncti hîc certamine adeſte,
Et delecta virûm ſortiti corpora, ab omni
Deligitote unum numerô, qvi diſcere poſſit,
Criminis an reus hicce ſit,& qvâ morte necetur.

Tan-

Tantum effatus, & in verbô vestigia torsit,
Jamq; *Sacerdotes* aderant, longisq; fremebant
Porticibus, variô assensu: ceu flamina prima
Cùm deprensa fremunt silvis, & coeca volutant
Murmura, venturos nautis prodentia ventos.
Tandem prógreditur, magnâ stipante catervâ,
Pontius: hunc juxta Proceres, Primiq; Sacrorum
Consîdunt tectis bipatentibus, incipit ipse:
Sacrifici vates, qvia nam sententia vobis
Versa retrò tantumq; animis certatis iniqvis?
Adveniet justum pugnae (ne accersite) tempus,
Cum, patriâ amissâ, dominis parêre superbis
Exiliumq; pati, dulcesq; relinqvere terras,
Incerti, qvô fata ferunt, ubi sistere detur,
Cogèmur, qvi nunc lenti consedimus arvis:
Tùm certare odiis, tùm bella movere licebit.
Nunc finite & placidè immeritam dimittite qvaeso.
Bellum importunum cives cum gente Deorum,
Invictisq; viris gerimus, qvos nulla fatigant
Praelia, nimborum tempestatumq; potentes.
Dixit: at his *Hannae* exarsit violentia dictis:
Dat gemitum, rumpitq; has imô pectore voces:
Heu stirpem invisam & fatis contraria nostris
Fata viri: horribilinè & saevô carcere dignus
Haec impunè ferat, qvae morte pianda videntur?
Qvis metus, aut qvae tanta animis ignavia venit,
O Proceres? Cur indecores in limine primô
Succidimus? Cur ante tubam tremor occupat artûs?
Namq; hic (fabor enim, qvando haecce referre necesse est)
Non veritus diâ est deducere origine nomen,
Esse patrem dicens regem omnipotentis Olympi,
Praetereà donis opulentum & marmore templum,

Aerea cui gradibus ſurgebant limina, nexaeq;
Aere trabes foribus cardo ſtridebat ahenis,
Seſe dejecturum, ait, excidioq; daturum,
Aedificaturumq; aliud, ubi tertius ortus
Extulerit Titan, radiisq; retexerit orbem.
Hinc eſt prima mali labes: hinc improbus ille
Criminibus terrere novis: hinc ſpargere voces
In vulgum ambiguas, & qvaerere conſcius arma
Qvippe etiam feſtis qvaedam exercere diebus,
Fas & jura ſinunt, inimicô pectore fatur.
Dixerat haec *Hannas*: ille os, oculosq; liqventeis
Jamdudum, & totum luſtrabat lumine corpus:
Et ſuper haec: cauſas neqvicqvam nectis inaneis,
Nec mea jam mutata loco ſententia cedit.
Namq; (fatebor enim) ut vidi nil tale merentem,
Et vitam, & genus omne, & crimina perqviſivi;
Solus hic inflexit ſenſus, animumq; labantem
Impulit, & dignum nihil eſt qvoq; morte repertum.
Qvare agite, ô *Proceres*, odiis deſveſcite iniqvis,
Nec pugnate, DEUM Veſtrum ignorare volentes.
Vix ea fatus erat, variusq; per ora cucurrit
Auſonidum turbata fremor: ceu ſaxa morantur,
Cùm rapidos omnes clausô fit gurgite murmur,
Vicinae fremunt ripae, crepitantibus undis,
Ut primùm ceſſit furor: & rabida ora qviêrunt,
Praefatus *Divos*, ſoliô rex infit ab altô:
Dicite qvandoqvidem (qvando hûc veniſtis amici)
Annua jam redeunt ſacra, cùm dimittere ſveti
Carcere captivorum unum. *Barabamne*, vel huncce
Poſcitis, exactis impunè emittere vinclis?
Tantum effatus, & in verbô veſtigia torſit.
Tùm verò attoniti monſtris actiq; furore
Conclamant: dede hunc neci *Barabamq;* remitte.

Duxiſti? & taleis voluiſti expendere poenas?
O pater, ô hominum Divûmq; aeterna poteſtas,
Qvod te per coeli jucundum lumen, & auras,
Per, ſi qvà eſt, qvae reſtat adhuc mihi nunc; pater usqvam
Intemerata fides: oro miſerere laborum
Tantorum, miſerere animi non digna ferentis.
Talia praeſtabat memorans, genibusq; volutans
Haerebat: totô manabat corpore ſudor.
At non haec nullis hominum, rerumq; repertor
Obſervans oculis, ſummo ſedet altus Olympo,
Qvi reſponſa dabat: vel qvae portenderet ira
Magna DEI, vel qvae fatorum poſceret ordo.
Isq; his *Heroëm* ſolatus vocibus infit:
Nate DEO, qvò fata trahunt, retrahuntq; ſeqvaris:
Qvicqvid erit, ſuperanda omnis fortuna ferendo eſt.
Dixit, & in coelum paribus ſe ſuſtulit alis,
Ingentemq; fugâ ſecuit ſub nubibus arcum.
At furiis *Judae* mens effera, ne qvid inauſum
Aut intentatum ſcelerisvè dolivè fuiſſet,
Hoc ipſum ut ſtrueret, dominumq; ut proderet illis,
Compoſito intereà vocat hoſtes vertice ab altô,
Utq; animos aptent armis, pugnaeq; parent ſe,
Imperat & celſô medius ſtans aggere fatur:
Hoc erat, hoc votis, inqvit, qvi ſaepè petivi:
Neu qvis ob inceptum ſubitum mihi ſegnior ito,
Ipſum hodiè cauſam belli, cauſamq; malorum,
Correptam manibus, vinclisq; tenebimus arctis:
Vos modò nunc animos, nunc veſtras promite vireis,
Nunc animis opus, ô ſocii: nunc pectore firmô:
Qvò DEUS, & qvò dura vocat *Fortuna*, ſeqvemur.
Dixerat atq; animis pariter certantibus omnes
Dant cuneum, densâq; ad montem mole feruntur.

Pars gladios ſtringunt manibus: Pars miſſile ferrum
Corripiunt, coeciq; ruunt: (furor, iraq; mentem
Praecipitant) Pars arma rapit, nodisq; gravatum
Robur, & aërii curſu petit ardua montis.
Tùm verò exoritur clamor, ripaeq; lacusq;
Reſponſant circa: & coelum tonat omne tumultu.
Qvos ubi confertos ardere in praelia vidit
Rex, & conſpectu in medió turbatus inermis
Conſtitit, atq; oculis trucia agmina circumſpexit:
Improviſus ait: Coràm, qvem qvaeritis, adſum.
Me me, adſum, qvi qvaeror, adeſt, qvem qvaeritis omnes,
Iſacidae: nihil hi comites potuêre, nec auſi
Commaculare manûs: terram, mare, ſidera juro.
Sic ait, & bis ſe venientibus obtulit ultrò.
Protinùs ad vocem toties (mirabile dictu)
Pondere percrebuit gens impia & invida vaſtô.
Fit ſonus: ingenti concuſſa eſt pondere tellus.
Conſurgunt tandem, ſomno vinoq; ſepultis
Aſſimiles, haerentq; obliti, donec *Iudas*,
Amplexûs Domino dedit, & ficta oſcula fixit.
Haec ubi facta, locum capiunt, ſignôq; repentè
Corripiunt ſpatia auditô, Dominumq; prehendunt.
At bis ſex proceres, hoſtes infanda furentes
Ut vidêre: metu verſi, retróq; ruentes
Diffugiunt, ſilvasq;, & ſicubi concava furtim
Saxa, petunt: piget incepti, lucisq;, nec auras
Reſpiciunt, taedet coeli convexa tueri.
Nec minùs ipſe hoſtis (qvanqvam tardantibus armis
Interdum genua impediunt, curſumq; recuſant)
Inſeqvitur, trepidumq; pedem pede fervidus urget.
Tum plauſu, fremituq; virûm, ſtudiisq; faventum
Conſonat omne nemus ſtrepitu collesq; reſultant
Tùm *Caiphas* (namq; omnis eum ſtipata tegebat

Tur-

Turba ducum) ſic incipiens hortatur ovantes:
Maxuma res effecta viri: Timor omnis abeſto:
Qvod ſupereſt, haec ſunt ſpolia, & de rege ſuperbô
Primitiae, & manibus noſtris eſt praeda petita.
Ergô agite, & cuncti laetum celebremus honorem,
Atq; ducem inſtincti verbis adeamus, ut ipſe
Audiat, & caput hoſtis acerbi deſtinet arae.
Credo eqvidem, haud anima una dabit diſcrimina tanta.
Sic memorat ſcelere ante âlios immanior omneis,
Dùm juvenem hortatur fari, qvô ſangvine cretus,
Qvidvè ferat, memoret: qvae ſit fiducia capto.
Ille haec depoſitâ tandem formidine, fatur.
Cuncta eqvidem tibi nunc, (fuerint qvaecunq;) fatebor
Vera, inqvit, ne me diâ de ſtirpe negabo.
Eſt mihi námq; pater, qvi res hominumq; Deûmq;
Aeternis reget imperiis, ac fulmine terret.
Talia fatus erat: coepit cùm talia Vates:
Nec tibi *Jova* pater, ſummi moderator Olympi eſt,
Perfide; ſed duris genuit te cautibus horrens
Caucaſus, Hyrcanaeq; admôrunt ubera Tigres,
Ut te: ſed motas praeſtat componere turbas.
Qvare agite, & primô laeti cum lumine Solis
Auſonii Ducis hunc vinctum deducite ad aedes,
Ut meritas calidô perſolvat ſangvine poenas.
Dixerat haec: unóq; omnes eadem ore fremebant.
Et jam prima novô ſpargebat lumine terras
Tithoni croceum linqvens aurora cubile.
Haud mora: feſtinant juſſi, rapidisq; feruntur
Paſſibus, atq; manus juvenem poſt terga revinctum
(Infandum) magnô ad regem clamore trahebant
Romulidum. Sedet in mediis, & maxumus aevo,
Et primus ſceptris, haud laetâ fronte *Pilatus,*

Atq; hic legatos *Solymæorum* ex urbe remiſſos,
Qvae referant, fari jubet, & reſponſa repoſcit
Ordine cuncta ſuô, tunc facta ſilentia lingvis,
Primus & ante omneis Parens ita farier infit:
Maxume *Romulidum* ductor, qvô ſoſpite nunqvam
Res eqvidem *Solymae* victas aut regna fatebor,
Conſilio hanc omnes, animisq; volentibus, arcem
Afferimur: jam, qvae dubiae ſententia menti,
Unum pro multis dabitur caput. Haec ita fati,
Conticuêre omnês, intentiq; ora tenebant.
At Rex ſollicitus, qvanqvam lenire dolentem
Solando cupit, & dictis avertere curas,
Multa gemens, magnôq; animum labefactus amore,
Juſſa tamen Procerum exeqvitur, virgisq; ſalignis
Divinum caedi mandat (miſerabile) corpus.
Hanc in conſpectu populi, pro Numine laeſô,
Effigiem ſtatuêre, nefas qvae triſte piaret,
(Auſi omnes immane nefas) genua aegra trahentem
Jactantemq; utroqve caput, craſſumq; cruorem
Ore rejectantem, miſtosq; in ſangvine dentes,
Nec dùm etiam cauſae irarum, & monumenta doloris
Exciderant animo, poenas cum ſangvine poſcunt.
At non haec nullis hominum ſator atq; Deorum
Obſervans oculis, ſceleratas ſumere poenas.
Namq; improviſo vibratus ab aethere fulgor
Cum ſonitu venit, gelidusqve per ima cucurrit
Oſſa tremor: totô ſonuerunt aethere nimbi.
Hinc exaudiri voces, & verba vocantis
Viſa viri, nox cum terras obſcura teneret:
Parce pias ſcelerare manûs, Dux inclyte gentis,
Et rabiem populi tantam compeſce furentis.
Talibus attonitus viſis, ac voce *Deorum*,

Ultrò animos tollit dictis, turbamq; ſonantem,
Pontius increpitat, CHRISTUM dimittere certus
Extemplò turbati animi, concuſſaq; vulgi
Pectora & arrectae ſtimulis haud mollibus irae
Dede neci, clamant. Nam qvi ſe dixerit eſſe
Regem, hunc jura ſinunt mulctari funere acerbò.
Ni facias, curae non eſt *Romana* tibi res,
Caeſaris & nomen, magno clamore fremebant.
Ergò ubi nulla datur coecum exuperare poteſtas
Conſilium, neq; dux illis ſuperantibus obſtat
Amplius, & ſeſe victusq; nolensq; remittit.
Non tamen abſtinuit, nec voci iraeq; pepercit.
At tibi pro ſcelere, exclamat, pro talibus auſis
Dii, ſi qvà eſt coelo Pietas, qvae talia curet,
Perſolvant grates condignas, praemiaq;, ô gens
Infelix, cui te exitio fortuna reſervat?
Haec ubi facta, cavis undam de flumine palmis
Suſtulit, ac taleis effudit ad aethera voces:
Ut nunc his manibus maculae abſunt: ſic mihi CHRISTI
Nullum in caede nefas fuerit. Nec plura locutus
Corripuit ſeſe, & tectis citus extulit altis.
Illi autem: DEUS haec generi, nobisq; reſervet:
Nullae hîc inſidiae tales: abſiſte morari.
Atq; ea diversâ penitùs dùm parte geruntur,
Veſtibulum ante ipſum magnô clamore moratur,
Effera ſervatur manus, illuditq; ſilenti:
Pro crinali auro, pro longae tegmine pallae
Conſertum tegmen ſpinis ſtat vertice CHRISTI,
Pro ſceptrô & datur inſigni fluvialis arundo.
Qvin etiam pars ejus obumbrat lumina vellens
Sqvalentem barbam & foedare in pulvere crines.
Nec mora, nec reqvies: ſummâ nituntur opum vi

Pro ſe qvisq; viri, pedibus per mutua nexis,
(Tormenti genus) & ſanie tabôq; fluentem,
Diſtentum ligno, longâ ſic morte necare.
Ergô juſſa parant omnes, aramq; ſepulcri
Congerere arboribus, coeloq; educere certant.
Itur in antiqvam ſilvam, ſtabula alta ferarum:
Procumbunt piceae, ferro ſonat alta bipenni
Fraxinus, evertunt actas ad ſidera pinûs,
Altaq; mox firmis fabricatur roboribus crux,
Qvae charam ſobolem, ſummi Patris oblectamen,
Portet, ut in malô mala perferat infinita.
Jamqve manûs teneras tenerum poſt terga revinctum
Regem, ad ſupplicium, lacerum crudeliter ora,
Ora, manusq; ambas, magnô clamore trahebant.
Ille autem fuſus propexam in pectore barbam,
Qvam fidam qvercum, cuneis & fiſſile robur
Geſtabat triſtis, nec eum labor iſte gravabat.
Armati circumſiſtunt, pilataq; plenis
Agmina ſe fundunt portis: pars ſpicula geſtant
Enſemq;, clypeumq;, & rubrae cornua criſtae,
Aereaq; aſſenſu conſpirant cornua raucô.
Pars pedes ire parat campis, aut corpora ſaltu
Subjiciunt in eqvos: It clamor & agmine factô
Qvadrupedante putrem ſonitu qvatit ungula campum.
Unà omnes lacrymas, matres, puerìq;, ſenesq;
Fundebant, moeſtam implentes mugitibus urbem.
At non tardatus caſu, nec territus Heros
Demiſit lacrymas, dulciq; affatus amore eſt:
Ne qvaeſo, ne me lacrymis, nêve omine tantô
Flete piae matres; potiùs deflete propinqvum
Exitium: hanc vocem extremam cum ſangvine fundo.
Haec ubi dicta dedit, portis ſeſe extulit altis

Cha-

Chara Dei ſoboles, lethum ut crudele ſubiret,
Sangvineam torqvens aciem, maculisq; trementes
Interfuſa genas & pallida morte futurâ.
Poſtqvam illuc ventum eſt, fruſtrà fortiſſimus Heros
Ardenteis oculorum orbes ad moenia torſit,
(Multa movens animo) unde omneis longô ordine poſſit
Adverſos legere, & venientum diſcere vultûs.
At nullum videt aeqvalem, videt agmina dirûm
Multa virûm, campiq; armis ſublimibus ardent.
Tùm verò ingeminat clamor, cunctiq; repentè
Corripuêre ſacram effigiem, manibusq; cruentis
Ingentem qvercum, deciſis undiq; ramis,
Conſtituunt, ſpirisq; ligant ingentibus illum.
Praetereà geminos etiam geminâ arbore fixos
Adjiciunt ſocios: ingens concurſus ad ipſa
Corpora, ſeminecesq; viros, tepidumq; recenti
Caede locum, & plenos ſpumanti ſangvine rivos.
Ipſe *Heros* autem in mediô pendebat inermis,
Ad coelum tendens ardentia lumina fruſtrà,
Lumina: nam teneras arcebant vincula palmas,
Convertêre animos acreis, oculosq; tulêre
Cuncti ad eum Proceres: ille autem cuncta ferebat,
(Dum ſtupet, obtutuq; haeret defixus in unô)
Intentos volvens oculos, cuî plurimus ignem
Subjecit rubor, & calefacta per ora cucurrit:
Qvale manûs addunt ebori decus, aut ubi flavo
Argentum, Pariusvè lapis circumdatur auro:
Taleis egregiô juvenis dabat ore colores.
Intereà pavidum volitans pennata per urbem
Nuncia fama ruit, matrisq; adlabitur aureis.
Evolat infelix, & durô mota tumultu,
Lamentis, gemituq; & foemineô ululatu,

Flaventesq; abſciſſa comas, mox agmina curſu.
Prima petit, nam ſollicitam timor anxius urget.
Utq; procul juvenum medió in clamore furentum,
Conſtitit, atq; ſui corpus miſerabile nati
Proſpexit triſtis, lacrymis ita fatur obortis:
Téne, inqvit, miſerande puer, cum laeta veniret,
Invidit fortuna mihi, ne regna videres
Noſtra, neq; ad ſedes victor veherêre paternas?
Crudelis, nec te ſub tanta pericula miſſum
Affari extremum miſerae data copia matri?
O mea Progenies, qvae cauſa indigna ſerenos
Foedavit vultûs? aut cur haec vulnera cerno?
Sacrati capitis populataq; tempora, jamné hoc,
Nate, refers, tantis neqvicqvam erepte periclis?
Heu qvid agam miſera? aut qvae jam ſatis imâ dehiſcat
Terra mihi? Vos ó potiùs miſereſcite venti!
Vel tu, qvod ſuper eſt, infeſtô fulmine morti
Demitte, ò Pater alme, tuâq; heîc obrue dextrâ.
Tantos illa ſuô rumpebat pectore qvaeſtûs:
Qvam, ſimul ac vidit vultum morientis, & ora,
Cara DEI *Soboles* dictis ſolatur amicis:
Qvid tantum inſano juvat indulgere dolori
Chara mihi ante alias: non haec ſine numine Patris
Eveniunt, coelum & terras qvi numine torqvet.
Per varios caſûs, per tot diſcrimina rerum,
Tendimus in coelum, ſedes ubi fata qvietas
Oſtendunt, omnis curae caſûsq; levamen.
Sic ait. Indè *Joannem* (admotum hunc namq; Parenti
Viderat) alloqvitur, dictisq; ita fatur amicis:
Haec tibi erit genitrix, ſpes & ſolatia noſtri:
At tu, oro, ſolare inopem, & ſuccurre relictae.
Vix ea, cùm lacrymans perculsâ mente dederunt

Aeneadae: miſtus dolor & ſtupor urget inerteis.
Nil ominùs tamen has jactant ad ſidera voces:
Verte omneis tete in facies, & contrahe, qvicqvid
Sine animis, ſine arte vales: dabis improbe poenas,
Obſcoeniq; canes, importunaeq; volucres
Diripient faciem inviſam atq; immania membra.
Nec minus inter ſe adverſis decernere dictis
Auditi, poenas qvi juxta ob furta luebant.
Alter enim furiis incenſus, ne qvid inauſum,
Aut intentatum ſcelerisvè, dolivè fuiſſet.
Ipſe etiam verbis morientem Heroā ſuperbis
Stringebat miſer, ac taleis dabat ore loqvelas:
Vade age & ingratis affer te irriſe periclis,
Cara Dei ſoboles, & relligioſa *Deorum*
Limina diripito, & poſt tres alia erige luces.
Qvid moriture ruis, majoraq; viribus audes?
Fallit te incautum Pietas tua: lubricus artes
Ne qvicqvam patrias tentâſti: en aſpicis urbem
Immunem tanti belli, atq; impune qvietam!
Talia jactantem dictis, & dira frementem
Non tulit ulteriùs, dextrâ qvi in parte propinqvus,
Jam morti pendebat, & haec extrema profatus:
Infelix, qvae tanta animum dementia coepit?
Deſine jam tandem: nunc te fata impia tangunt,
Cauſa mali tanti ſceleris veſtigia noſtri,
Impreſſumq; nefas & inextricabilis error:
Hunc autem tantùm benefacta & facta ſtupenda
His mersêre malis: terram, mare, ſidera juro:
Illum obteſtemur, veniamq; oremus ab ipsô.
Haec ait: hinc *Divum* converſus lumina in ipſum
Talibus orabat dictis: Sate ſangvine *Divûm*,
Ad Te confugio, & ſupplex tua Numina poſco,

Adſis ô, placidusq; juves: miſerere laborum.
Tantorum, miſerere. Potes namq; omnia, nec te
Neqvicqvam ſacrâ longaevum in ſede locavit
Omnipotens genitor, Coeloq; Ereboq; potentem.
Talibus orantem Rex omnipotentis Olympi
Audiit, & paucis reſponſum ita reddidit *Heros:*
Parce metu juvenis: ſuperum jam ſignat honore
Te Pater ipſe ſuô, rerum cuî ſumma poteſtas,
Qvi vitam dedit aetheriam, ſedesq; beatas.
Eia age rumpe moras, animo gratiſſime noſtro:
Ingredere, & celebres cape, qvos ſpondemus, honores.
Vix haec ediderat, cùm creber anhelitus artûs,
Aridaq; ora qvatit proruptus corpore ſudor
Frigidus, & longis ſingultibus ilia pulſat
Heîc laticis (qvanqvam in mediâ jam morte tenetur)
Munera, particulam, ſitiens, ſuprema popoſcit.
Haud minùs, ac juſſi faciunt, atrôq; venenô
Felleq; permiſcent corrupti pocula Bacchi,
Illaq; arundineô ſumenda canale propinat:
Qvae ſimul ac Heros accepit fellea pôcla,
Primaq; libato ſummô tenùs attigit ore,
Reſpuit, atq; diu labris inſedit amaror.
Dein tunicam, molli mater qvam neverat aurô,
Pars rapit, atq; humeris neqvicqvam fortibus extat,
Ne qvid inexpertum ſcelerisvé, dolivé fuiſſet.
Intereà magnô miſceri murmure coelum
Incipit, & rebus nox abſtulit atra colorem,
Impiaq; aeternam timuerunt ſecula noctem.
Terra tremit, fugêre ferae, & mortalia corda
Per gentes humilis ſtravit pavor imbribus atra
Tempeſtas ſine more furit, tonitruq; tremiſcunt
Ardua terrarum, & crebris micat ignibus aether,

Prae-

Praeſentemq; viris intentant omnia mortem.
Tum verò attonitu, monitu, imperiôq; *Deorum*
Extemplò delubra adeunt, pacemq; per aras
Exqvirunt matres, & templum thure vapôrant
Suppliciter triſtes & tonſae pectora palmis.
Ecce aûtem majus miſeris, multoq; tremendum
Objicitur magis: Et tremere omnia viſa repentè.
Liminaq; & templi, mirô qvod honore colebant,
Velum, & disruptis templum mugire columnis.
Jamq; *Deus* rumpens cum voce noviſſima verba
Ingenti, horrendumq; ſonans, Pater optume, dixit
Eripe me his invicte malis: haec omnia firma:
Vixi, & qvem dederat curſum fortuna, peregi.
Haec ubi dicta dedit, placidum caput inclinavit,
Protinùs atq; oculis nutantibus expiravit.
Salve *vera* DEI *Proles*, decus addita coelo.
Te *Stygij* tremuêre lacûs: Te janitor orci,
Cerberus, adverſò recubans immanis in antrô,
Et ſpecus horrendum & ſaevi ſpiracula *Ditis*:
Nec Te ullae facies non terrent, ipſa Chimaera,
Horrendum ſtridens, variarum aut monſtra ferarum,
Adſis ô tandem, & ſi nondum exoſus ad unam
Mortaleis: ſi qvid Pietas antiqva labores
Reſpicit, humanos dubiis ne deſice rebus:
Poenarum exhauſtum ſatis eſt: miſerere laborum
Parce pio generi, & propiùs res aſpice noſtras,
Nec non conſerva pia Chriſticolum agmina: ſic tu
Semper honore meô, ſemper celebrabere donis,
Dùm memor ipſe mei, dùm ſpiritus hos reget artûs.



Lector Benevolus ac Candidus

Vitia Typographica, eaq; potiora modò, haud gravatim hôc modô emendabit, ut

v.3.pro littore,ponat littora,
v.94. voci Oliviferi *addat Conj. copulativam* qve,
v.99.pro orbi, legat urbi,
v. 103. vocabulo tanton' *(pro tantô ne) adimat Comma,*
v. 108. pro dat, scribat det,
v. 140. pro labentia, pingat labantia,
v. 151. locô vocis haeret, adhaeret *substituat,*
v. 166. pro &, ponat est,
v. 179. pro simulacra, legat simu[illegible]ora,
v. 181. pro lacrymas, scribat lacrymis,
v. 186. pro nunqve, nunqvam pingat,
v. 208. vice vocum incautum sini, incautum sivi *substituat,*
v. 247. 294. & 450. puncta addat,
v. 319. pro hunc, legat huncce,
v. 398. pro ne, addat nec.



NU